

consul bis: primum ante tempus: iterum sibi, suo tempore; rei publicae, paene sero: qui, duabus urbibus eversis, inimicissimis huic imperio, non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in sorores? bonitate in suos? justitia in omnes? nota sunt vobis: quam autem civitati carus fuerit, maerore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere; moriendi autem sensum celeritas abstulit; quo de genere mortis difficile dictu est. Quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum, senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est, a partibus conscriptis, a populi Romani sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita: ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur Deos potius, quam ad inferos pervenisse. Neque enim assentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Graeciam (quae nunc quidem deleta est, tum florebat) institutis et praeceptis suis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo sapientissimus est judicatus; qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, Animos hominum esse divinos, iisque, cum e corpore excessissent, reditum in coelum patere, optimoque et justissimo cuique expeditissimum. Quod item Scipioni videbatur: qui quidem quasi